Ochocki Gabrielis: Quaestio de formis substantialibus elementorum in misto.

QVÆSTIO
DE
FORMIS SVBSTANtialibus Elementorum in Misto.

A

M. GABRIELE OCHOCKI, Contubernij Philosophorum Seniore, publicè ad disputādum in Almâ Acad. Crac. proposita:

Anno 1626. Mense Aug. Die Hora

Permissu M. D. RECTORIS.

CRACOVIÆ,
Typis Matthiæ Andreouiensis.

IN SCEPTRA.



REgia Sceptra nitent, vnum Virtutis auitæ,
Alterum Honoris erit; quæ duo iuncta vides:
Semper enim vero Virtus ſe iungit Honori,
Virtutem & veram concomitatur Honor.
Ergo dum Reges ornant, te Academia, Sceptris,
Virtutem agnoſcunt, hinc tibi verus Honor.

Almæ Academiæ Cracou: per Vniuersam Sarmatiam bonarum Artium MATRI.

M. D. RECTORI.

DD. DOCTORIBVS & PROFESSORIBVS OMNIVM FACVLTATVM EXCELLENTISSIMIS.

PRODEO *in arenam Philosophici certaminis, non tàm ingenij viribus excitatus, quàm tibi, Mater Academia, morem gerens, quæ sollciti laboris tui, in excolendis tenerioribus ingenijs, sedulò adhibiti, fructũ, maturiore annorum progressu, iure optimo à nobis repetis. Ad Laborem velut ad aduersos Solis radios fætum suum hæc Aquila exponit, & cuius aciem firmam contra stare senserit, labores, vigilias, honestam, & bonæ famæ parentem paupertatem, æquo animo tolerare posse animaduerterit, velut propriam agnoscit sobolem. Si verò oculis suis conniuentem, si capiti blandè prospicientem, & geniales dies agere, stomachumq; laxare saginis natum intellexerit, ceu adulterinum mox præcipitem dat, & à nido suo velut ignauum pecus arcet. Maneant suis in delicijs otiosa pectora, animi desidiosi, vasti, alieni appetentes, ignauiam ambabus amplectantur vlnis, leuem etiam corporis incommoditatem fugientes, delectent se latifun-*

dijs, oblectent amænitate hortorum; multitudine pratorum, affluant, diffluant copijs omnibus nauseantes, liceat denique illis esse plus quam otiosis; sed se de nido huius Aquilæ eiectos, expulsos, exterminatos sciant. Cedite, alij sunt huius Aquilæ fætus, qui hoc exiguo sed nobili nidulo contenti, omnem agrorum latitudinẽ rident, præ virtutis studio delicias molles aspernantur: huic, nõ modo, quantùm alicubi auri in benè obseratis scrinijs, sed quicquid etiam vel supra terram est, vel sub terræ visceribus occultatur, nequaquam dignè satis conferri posse putant. Hi fætus labore crescunt, labore aluntur, labori in studio honestatis & bonarum artium primas, secundas & tertias tribuunt, laborem cùm Orpheo Heroûm Matrem existimant. Quodsi eosdem fatigari aliquando contingat, frugalitate reficiũtur quâ diuitias, illis etiã qui eas possident fortè annuentibus non commutarent. Dignam profectò tali prole parentem, sed nec minùs beatam prolem tali parente. Felicem verò Sanctam Diui Iagellonis Animam vel hoc vno instituto, ex quo fætus partusque innumeri pullulant ingeniorum. Exigua aliorum fæcunditas est, pauco edito fætu sterilescunt, huius tanta est, vt non sit metuendum, ne qua senecta temporis, hanc sibi adimat feracitatem. Ita rapacibus & carniuoris animalibus breuem pariendi terminum, natura circumspectè posuit, mansuetiora & humano generi proficua multæ prolis esse voluit. Exponis aduerso Soli ô

genero-

generosa & diuina Aquila pullos, sed eos in alis delatos, altißimè enim volitans, non metuis ne quis eos tibi abripiat Prometheus. Dedit ille multis seculis pœnas ignis à curru Solis subducti, Aquilâ superorũ iniuriam vindicante. Quod si quis Prometheus nidum Aquilæ inuadere, si pullos eius tectis artibus pellicere machinaretur, an non Superi vicem referentes, sua in eũ vibrarent fulmina, æternasq; huius audaciæ statuerent pœnas? Sed viues æternùm inclyta Academia, vt facile maleuolorum & tuâ laude dolentium inuidiam superes, & dignitatem Maiorum integram retineas. Viues Clarissimorum Virorum disciplinâ sapiens & verecunda, multis ingenij potius quàm fortunæ opibus instructa, neque vnquam pro labore desidiam, pro continentiâ & æquitate luxuriã vel superbiam, à quâ semper alienissima fuisti amplecteris. Viues deniq; vt multos Principes, & bellicis artibus, & pacis ornamentis claros, doctrinâ & virtute, (quod tui muneris est,) conspicuos Reip: Polonæ consecres & deuoueas: reliquos verò partus tuos, in partem laborum voces, vt quidquid in eis ingenij, quidquid doctrinæ est, totũ id acceptũ tibi referentes, laboribus id remunerentur continuis. Atque ego, quantum tibi, Mater Academia debeam, sentio, neq; tantùm me tibi persoluere posse facilè deprehendo. Tu enim me à primis annis ad hanc vsq; ætatem benignè exceptum instituisti, fouisti, & honestis informasti disciplinis. Natura igitur benefici hoc

cij hoc à me requirit, vt hunc primum ingenij fætum, tibi Mater Academia tradam, & quem fructum fecerint, quas radices labores tui & curæ in me instituendo egerint, his lucubrationibus demonstrem. De Elementis autem potissimum Quæstionem proponere placuit, vtpote ex quibus omnia constare, & in quæ omnia resolui certum est: quâ verò ratione hæc mistis insint, & generationem eorum efficiant certant omnes Scholæ & in diuersas abeunt sententias. Aliæ veritatem eius è profundo rationibus velut adamantinis catenis trahentes sibi vendicant; aliæ argumentis vt fortissimis arietibus eandem repetunt; aliæ, his veluti ereptam suam esse prædicant, vt mihi inter Salaminios & Chios de Homero vel certè de Aureo pomo non tàm acre certamen quondam extitisse videatur. Sed cui hoc aureum pomum (veritatem eius Quæst: intelligo) sit tribuendum, tu facilè Mater Academia, tot iudices iustissimos & prudentissimos continens, quot viros eruditionis prædicandæ habes decernes. Accipies igitur nunc benignè exiguum ab ingenio per ætatem nondum benè confirmato profectum fætum, olim, si vlterius meum tibi animum grauioribus disciplinis formandum sumpseris, consummatius aliquid acceptura.

Admodum Reueren: Clariß. & Excell: V. D.
æternùm deuotus
M. Gabriel Ochocki.

QVÆSTIO.

V. Formæ Subſtantiales Elementorum, quæ cùm non ſint qualitates primæ, tamen intenduntur & remittuntur, in miſto, cuius generatio eſt ſubſtantialis mutatio, actu ſeu formaliter maneant, nec ne?

CONCLVSIO I.

Qualitates primæ non ſunt Formę Subſtantiales Elementorum.

COROLLARIA.

1. *Hæ qualitates dicuntur etiam Formæ Elementorum, quatenus conſtituunt Elementa vt Elementa ſunt, id tamen non eſt niſi præſuppoſitis formis ſubſtantialibus, quia abiunctis his euaneſcit officium qualitatum.*

2. *Neque ignorare neque mirari debemus has*

has qualitates ab Aristot: lib: 2. de Generatione, modò formas modò principia elementorum, modò materiam appellari, quæ nomina diuerso respectu conueniunt qualitatibus.

3. Primæ qualitates habent certos à naturâ suæ latitudinis terminos, vltra quos intensis & remissis qualitatibus pereunt formæ substantiales Elementorum.

4. Eædem qualitates siue in summo siue castigatæ sunt naturales singulis corporibus, non quod eorũ naturas ita consequantur vt consequitur effectus causam, à qua producitur, sed ideo, quia ipsæ Elementorum naturæ sine his qualitatibus existere nequeunt.

5. Hæ virtutes elementorum cùm sint accidentia debent habere aliquam causam à quâ producantur, quam non esse aliam nisi Cœlum docet Aristot: libr: 1. Meteo. cap: 4.

CONCLVSIO II.

Formæ substantiales Elementorum intenduntur & remittuntur, etiamsi non Formæ substantiales mistorum.

COROLLARIA.

Magis

1. Magis propriè dixeris Formas Elementorum intendi & remitti, quàm suscipere magis & minùs.

2. Nulla Substantia siue simplex siue concreta siue perfecta siue imperfecta intenditur & remittitur, si accipiatur intendi & remitti pro suscipere magis & minùs. Et ad hunc sensum dixit Aristoteles in cap: de Substantia: Proprium esse Substantiæ non suscipere magis & minùs.

3. Elemēta intenduntur & remittuntur cùm variatione speciei, forma enim ignis potest remitti, & amittere aliquem gradum sed ea remissio mutat necessariò speciem.

4. Necessitas suadet Formas debere intendi & remitti in Elementis: cùm enim sint materia mistorum, necessaria est hæc intensio & remissio, vt euadant ex his formæ mistorum omnium varijs modis & horum omnium species constituantur.

5. Qualitates & Formæ in Elementis remittuntur, sed diuersâ ratione; qualitates enim remittuntur sine variatione speciei, formæ cùm variatione speciei.

CONCLVSIO III.

Tàm generatio misti, quàm dissolutio eiusdem est mutatio Substantialis.

COROLLARIA.

1. Si realitatem respiciamus elementorum, quæ sola manet in mixto non est perfecta generatio nec perfectus interitus: hoc testatur Aristot: in cap. de Mixtione dicens Miscibilia non penitus interire sed aliquo modo seruari.

2. Miscibilia à misto separari possunt & separantur neque tamen redeunt penitus eadem numero sed eadem tantum secundum speciem.

3. Non est eadem separatio elementorum ex misto, cùm eâ quæ ex merâ congregatione dicuntur aliqua separari absque vllâ mutatione, vt quando ex aceruo grana tritici separantur.

4. Miscibilia non penitus se interimunt mutuo, sed solum frangunt mutuo excellentias suas, ita vt medium quoddam remaneat quod ex parte redolet naturam singulorum.

5. In mistione intereunt formalitates elementorum & producitur noua formalitas quæ est misti, sicut in dissolutione misti, interit formalitas

litas misti, & generantur formalitates elementorum.

CONCLVSIO IV.

Elementa non manent in mixto secundum eorum esse actuale, id est secundum eorum esse intensum & excellens, sed benè manent in mixto secundum esse potentiale, id est, secundum esse refractū & remissum.

COROLLARIA.

1. Miscibilia dicuntur etiam esse potestate in mixto, non respectu actus primi penitus, vt cùm dicimus aquam esse potestate aërem, nec respectu actus secundi tantum, vt cū dicimus, Gèometram dormientem gèometrisare potestate, sed tertio modo medio, vt cùm dicimus Gèometram dormientem habere potestatem geometrisandi; sic & elementa possumus dicere esse actu in mixto secundum actum impuratum qui habet coniunctum potestatem adipiscendi suam integram perfectionem.

2. Non rectè sentiunt, si qui putant ita ele-

menta manere in mixto potestate quod scilicet possunt iterum generari elementa ex misto: sed ita sunt potestate, vt sint aliquo modo & actu.

3. Certum est quẽdam esse actum entitatiuũ, secundum quem dicitur aliquid actualiter esse, quendam perfectiuum secundum quem dicitur aliquid perfectum ex se: quare operatio actualis elementi in actu entitatiuo manet in mixto, sed non manet actualis operatio in esse perfectiuo.

4. Cum esse sit duplex, primum quod vocatur liberum, vt quando ignis vel aliud elementum accipitur per se, sicut sunt elementa in suis sphæris, aliud ligatum, quod est ab alio alteratum & aliud alterans hoc secundum habent esse in mistis.

5. Apertè clarum est quomodo Formæ elementorum integræ non maneant in misto; vt in lapide V. G. patet in quo si forma ignis esset integra idem esset & lapis & ignis, quod dicere non est philosophari.

CONCLVSIO V.

Ele-

Elementa ſunt formaliter in miſto, ita tamen vt illæ formæ ſint fractæ & ad mediocritatem redactæ.

COROLLARIA.

1. *Cùm Elementa ſint formaliter in miſto, vt vult Concluſio erunt etiam & virtualiter, ex quo virtus eſt ſequella formæ, & inſeparabilis ab ipsâ.*

2. *Et ipſe Ariſtoteles primo de Generatione ſeruari vires Elementorum in miſtis docet, ſed per vires intelligit realitates formarum elementarium quæ ſecundum aliquos gradus ſeruantur.*

3. *Sæpè Philoſophus per caliditatem, frigiditatem, humiditatem ſiccitatem quas vires elementorum vocat, formas ſubſtantiales intelligit eorundem & non ipſa accidentia ſeu qualitates, nam calorem frigus &c. materiam eſſe mixtorum corporum docet, materia autem non eſt accidens ſed ſubſtantia.*

4. *Elementa partim materialia partim formalia poſſunt dici Materialia dicuntur, ſunt enim quaſi materia miſtorum & ſic habent eſſe*

 poten-

potentiale, ſunt etiã quaſi formale vt puta ipſius materiæ primæ & ſic habent eſſe actuale.

5. Formæ ~~Elementorum~~ Miſtorum nihil aliud ſunt reipſa, quam gradus aliqui formarum elementarium diuerſæ tamen à formis elementorum, quia non amplius conſtituunt elementa ſed miſta & dant aliud eſſe ſpecificum.

Sub fælicibus Auſpicijs Admodum R'di & Magnifici Domini, D. Iacobi Naymanowic I. V D. & Profeſſoris, Canonici Crac: Vniuerſitatis Crac: Generalis Rectoris.